

suorum perculisse ceruicibus, sed etiam
 ne appropinquarent prouidisse. Deniq;
 non aliter quàm si Balista illa cunctorũ
 transfodisset oculos, suorũ semper per-
 uertisse consilia. Et ille quidem nuper
 indignum præsentia tanti Regis orbem
 deserens, migravit ad superos. Ego au-
 tem quamuis erga illius memoriam va-
 ria hominum studia, præcipuè Italico-
 rum meorũ dissonantes opiniones noue-
 rim: quia tamen non illius aut huius au-
 rium voluptati, sed nudæ rerum veritati
 studeo. Roberti nomen in operis mei
 primordijs fulgere volui, & cum præfa-
 tione veniæ, si fortè cui molestus sum,
 quotiens illum rerum qualitas obtule-
 rit, liberius iam sine adulationis suspicio-
 ne, nisi fallor de moribus eius loquar,
 nullum mihi gratificandi propositum,
 nulla spes, quæ nonnunquam à verò scri-
 ptorum animos auertunt, me quidem ve-
 ra memorare conscientia mea, si illi pa-
 rum fidei est, testis est mors. Breui qui-
 dem fore confido, vt vnica pestis, tot tan-
 dem confutata virtutibus conticescat, &
 gelido saltem abeat sepulchro: nunc quo-
 niam properantem calamum, longa re-
 rum series expectat, de Ocijs satis dictũ
 est.